



312 ig.jegyzék
"Levoča, Múzeum - Muzeum, Lőcse: Matica Slovenská, Martin:
"Régi nyomtatványok:"

1.cím: A jegyzék szövege



o/o

"Régis nyomtatványok, Levoca: ".
Podjá všeobecnéj instrukcie. Napsíš jednotlivých záberov: "

Sposób fotografovania:

"Régis nyomtatványok, Levoca: ".
Az általános utasítás szerint. Az egyptes felvételkészletek készítése:

A fényképezés módja:

Gedeon B o r s a.
Výskum prevaďazl a zoznam zo stavu

Borsa Gedeon mužákja.
A kutatás es a jégyptek oszszegálítása

Staré tlačívá.

2/ Tematika: régis nyomtatványok.

1/ Leveletari intézet: Levoca, Slovenská, Martin.
Matica Slovenská, Múzeum.

Fényképezési igény jegyptek.

/ 2.312. sz.

Zoznam spisov určených na fotografovanie pre MTA

LEVOCA, Muž (tarloban)

Medieval
archaeology

(50) = 8.04

Biner Hilatius Ernestus: Tractatus methodice.

Leutschoviae, 1642. 4° [4] Level 4°

III. 593

Biner Hilatius Ernestus: Tractatus methodice.

Archaeology - history

12.19.7

9163

312 ig.jegyzék

"Levoča, Múzeum - Múzeum, Lőcse: Matica Slovenská, Martin:"

"Régi nyomtatványok: Hilarius E.Biner:Tractatus methodica"

2.cím: Egyetlen tétele végig

2035

TRACTATIO METHODICA
VBIQVITATIS
SEV OMNIPRÆSEN-
TIÆ DIVINÆ IN GENERE,

Quam,
Censuræ publicæ submittit
**HILARIVS ERNE-
STUS BINER, SCHOLAE**
Neosoliensis Rector,

RESPONDENTE
BARTHOLOMÆO BVSSÆO,
LEUTSCHOVIENSI,
Hungaro.

Mense-Majo.

LEVTSCHOVIÆ,
E TYPOGRAPHEO BREWERIANO.

Anno Domini: M. DC. XLII.

VIRIS,

Perquam Reverendis, Excellentiss. Generosis, Nobiliss.
Ampliss. Consultiss. Prudentiss. nec non vario variarum
rerum usu & experientia doctissimis.

Dn. M. PETRO ZABLERO,

V. Regiarum Lib. Civitatum, aliarumq; con-
junctarum Ecclesiarum Superintendenti, & Ecclesiæ
Leutschoviensis Antistiti, ut vigilantissimo, ita meritissimo.

Dn. IV DICI, cœterisq; in Inlyta Liberaq; Leutschov: Rep. Ordinis Senato- rij Aſſessoribus laudatissimis.

Dn. JOHANNI SÖLDNER,

De Ubriss, S. C. Regiaeq; Mag. Tricesimatori & Po-
starum Magistro apud Leutschovienses spectatissimo.
nec non

Dn. FRIDERICO PORST,

Viro Generis Nobilitate, Virtutum laude,
multipliciꝝ doctrinâ ornatissimo, Patricio Leutschoch-
viensi florentissimo, Literario ordini faventissimo.

Dominis Mecenatibus, Fautoribus & Patronis beni-
gnissimis, usq; quaꝝ summâ animi obser-
vantia colendis,

In debitâ observantiae symbolum, cum ardenti omnis fa-
lutis comprecatione Hoc Exercitium Theologicum
dedico, ex officio, ex animo, quia debo,
quia cupio.

Bartholomaeus Bussaus L. P.
Respondens.

THEISIS I.

NBiq; seu omnipræsentem esse, inter
propria DEI referri attributa, non tam ratio
Philosophorum, quam sacrarum literarum
paginæ afferunt.

II.

Est autem ubiquitas seu omnipræsentia proprium DEI
attributum, quo creaturis omnibus suâ Essentiâ præ-
sens est, omnia novit, omnia potest, omnia sustentat, o-
mnia gubernat, pro suo placito ad gloriam suam & certum
creaturarum finem.

III.

NEc solùm Essentiâ suâ ubiq; in hoc mundi theatro, est
Deus, sed etiam potentiam, bonitatem & justitiam
suam in omnibus creaturis exerit atq; declarat.

IV.

Hoc proprium, ut sit omnipræsens seu ubiq;, Deus à
se & in se ab æterno, sine principio habet, ac illud
quoq; retinet immutabiliter in æternum.

V.

VT enim ipsa DEI Essentia immutabilis est, ita & hæc
proprietas DEI, mutationi non est obnoxia, ut pote,
quæ cum Essentia Divina est eadem perfectissimè.

VI.

HÆc omnipræsentia DEI potissimum respectu totius
mundi prædicatur & consideratur: quia in universita-
te hac à se creatâ Deus ubiq; seu omnipræsens est, velut
benè habet versiculus;

Enter præsenter Deus hic & ubiq; potenter.

VII.

ALiâs accuratè loquendo, omnipræsentia Dei etiam ad
spacia extra mundum imaginaria sese extendit: & nisi

A 2

hoc

hoc esset, mundi tantum partibus finitis Deus claudetur & coarctaretur; adeoq; nec infinitus censeri, nec immensus dici posset, quod absurdum sensu, in modo impium dictu.

VIII.

RECTE nihilominus Deum ubiq; & nullibi esse veteres dixerunt Philosophi: ubiq; repletivè & Majestaticè; nullibi, circum scriptivè aut finitivè.

IX.

VBiq; totus est Deus, totâ suâ Essentiâ, integrè, non mutilatè; nec tamen pluralitas Essentiæ inde sequitur, aut plures Dii, quod vesana possit colligere ratio, vel de niq; Majestatis Divinæ sordida quædam infectio, quam carnaliter statuere, crassissimus error est.

X.

VT enim clarissimum Solis lumen, & si suis collustret res sordissimas & spurcissimas radiis, nihil quidquam sordidi inde contrahit: ita nec omnipræsens Essentia Divina, et si sese ad singula quæq; mundi loca, etiam impura, extendat, aliquid inquinamenti vel sordium accipit.

XI.

POrrò, Ubiquitas hæc sit citra Essentiæ Divinæ expansionem, & quidem invisibiliter: licet interdum Deus sese manifestet, suo quodam modo, suis scilicet creaturis, conveniente, qui propterea non ipsam Essentiam Dei infinitam immensam coarctat aut abolit.

XII.

PLanius autem explicandum & evolvendum non nihil est, quando dicitur: Deus est ubiq;. 1. Essentia suæ. 2. Omnisscientia. 3. Omnipotentia. 4. Sustentatio-
nis. 5. Gubernationis præsentia.

XIII.

Essentiâ suâ Deus est ubiq;, quando præcipue suo opificio

ficio & rebus in eo contentis adest, à suo opere non discedit, ut aliâs architectus à suo ædificio, aut navi extorta remotor est, & eandem relinquit: sed adest suo operi semper, illud conservat, certo modo ac fine moderatur ac regit.

XIV.

OMnisscientiâ Deus ubiq; est, quoniam omnia novit & in omnibus creaturis omnia perspicit: nihil prorsus ei occultum est, aut occultum fieri potest.

XV.

OMnipotentiâ Deus ubiq; est, quia omnipotens est in omnibus creaturis: & nihil Deo impossibile est; omnia enim, quæ vult, facit, & facere potest.

XVI.

SUstentatione creatarum rerum Deus omnipræsens est, primò earum, quæ non multiplicantur propagatione, ut, cœlum, astra, terra, mare, aëris, ignis, flumina, scaturientes, montes, valles. &c.

XVII.

SEcundò, sustentatione creaturarum, quæ propagatione multiplicantur, ut sunt; Species animalium omnes, homines, jumenta, pecora, feræ, volucres, pisces & similia, quæ Dei benedictione secundum ordinem naturæ gerantur. &c.

XVIII.

PRæterea, Deus est ubiq; Gubernatione omnium rerum creatarum rationalium & brutarum, animatarum & inanimatarum, visibilium & invisibilium, liberimè, potentissimè, efficacissimè.

XIX.

Gubernat autem Deus creaturas suas, vel gratiâ, & favore, & tum eis omnis generis beneficia confert, cum spiritualia, tum corporalia; vel itâ & indignatione, &

tum eas severè punit, imò, ceu ignis consumens dissipat.

X X.

Non autem tantùm gubernat creature suas impiè agentes puniendo: sed & iisdem ante pœnam peccati metas statuendo, quousq; grassari debeant, nec plus ultra permittit aut concedit.

X X I.

Et hæc omnia facit non necessitate quadam causarum secundarum, sed liberâ benefaciti voluntate, secundum quam etiam sine ordine naturali agere, & contra eum facere potest, quæcunq; vult: est enim superior omnibus creaturis, adeoq; Domin⁹ omnium creaturearum.

X X I I.

Fines seu effectus primarii omnipræsentiae Divinæ generales sunt, primò, totius mundi subsistentia; nam nisi Deus omnipræsentissimè conservaret mundum, non substitisset hucusq;, nec adhuc subsisteret.

X X I I I.

Secundò, beneficiorum Divinorum in omnibus creaturis dilucidissimus conspectus: pœnarum quoq; juxta ordinem justitiae in ipsis creaturis expressa & in fallibilis certitudo.

X X I V.

Tertiò, rationalium creaturearum omni in loco reverentia, cultus, timor, & fiducia Deo habenda: His enim Deum celebrate jubentur & tenentur.

X X V.

Hinc ingens piis hominibus solatum exurgit, quòd ubiq; Deus illis propè sit, & ubiq; precibus devotis compellari possit, ubiq; tandem ope Divinâ juvare invocatus velit ac possit.

I. Quis

I.

Quis non miretur divinum Numen, ubiq
Dum transgressores punit, amatq; pios?
Mens pia, præsentem clementi crede Jehovam
Vultu; terribili turbam maligna puta.

ap Rector.

I I.

Ad Respondentem.

Contemni, licet ars, & alma Virtus
Multis visa sit, & laboret omni
De patricinio, suos meretur
Patronos tamen ars, & alma virtus.
Qui virtutis habet sacrum decorem,
Artes sedulus imbibit Sophorum,
Volvit, pensitat, hisq; mente in hæret,
Non temnetur is à bonis; malorum
Suntridenda malæ venena lingvæ.
Est placere pudormalis; beatum
Sed placere bonis, bonos videbis
Gratis officiis juvare doctos.
Sic tu digna capis; feresq; fructus
Dignos, dignè operam locans Camenis,
Perge! insta! atq; Deum tuo labori
Præsentem, comitesq; junge Musas.
Sic mens debilis irrigata Sacris
Pleno vincet onus labore plenum;

Pleno

Pleno promet opus favore pl. num.
Sic, sic gloria, sic decus paratur,
Sic fontes Heliconis, aut Lycea
Quæruntur, dabiturq; sic Tropæum
Virtutis, preciumq; mortis expers.

Maximil. Methodius Georgines
à Toplicz p. i. Coll. 3. claf.

I I I.

Eximiam quærunt alij per inania laudem,
Aut magnum Sophies nomen ab arte parane.
Tu tibi Theologicis famam, Bussæe, duellis
Gignis, dum Numen, quod sit ubiq; probas.
Perge, labor placet iste Deo, tibi pullulat inde
Utilitas, nullo quæ peritura die.

H:ob⁹ Hlobyek Rosemone
Lipt.-Hung.

I V.

Dum Bussæe Deum defendis ubiq; locorum
Presentem: digno digna labore subis.
Adde fidem scripto, fidei quoq; jungito vitam,
Sic tibi, sic præsens, Hic & Ubiq; DEUS.

Candoris & amoris ergo pos.
Christophorus Grebner Silesius.

F I N I S.